Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2035
Quelle:
Copyright:

hat Chunrad der Rampperſtorffer Purger ze wienn nach Chriſtes gepurt. M° CCCC° ſecundo. Tò *getzewgt, erczewgt* in utraque Clauſula innuit, Exemplar iſtud juſſu et impenſa *Conradi Rampperſtorfferi deſcriptum fuiſſe, qui Vir luctuoſum* exitum invenit; ſexennio enim poſt ferventibus inter Duces *Leopoldum* et *Erneſtum* fratres diſſidiis, motu populari apud *Leopoldum* reus actus una cum Conſule *Conrado Vorlauff* et aliis quinque capite plexus eſt 10. Jul. 1408.

DCCCXXIX.

U. 156 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 236. f. per duas columnas nitide exaratus et rubricis diſtinctus, ſed ſub principium et finem ſitu et mucore non parum paſſus complectitur: I. Opus *de Officio Miſſae* II. Partibus ſeu Libris conſtans, cujus Praefatio incipit: *Venerabiles patres et domini cogitanti mihi — — quid laboris quidve utilitatis pro felici incremento nouelle plantationis illuſtrium principum dominorum Marchionum Miſnenſium videlicet alme noſtre vniuerſitatis Llypcenſis facere poſſem* &c. Liber vero I. *Ad honorem benedicte et indiuidue trinitatis patris videlicet et filij et ſpiritus ſancti, ſanctorumque patronorum huius dyoceſis* (Merſeburg.) *ſcilicet ſancti Johannis baptiſte et ſancti Laurencij martiris pro felici incremento alme vniuerſitatis lipczenſis aggreſſurus — declarationem ſacratiſſime miſſe* &c. Atque haec *Declaratio* abit in II. *Libros, Libri* in *Tractatus*, et hi in *Capita*. Liber I. agit *de quibusdam precedentibus et diſponentibus ad dominici corporis dignam tractationem et ſumpcionem et de ipſo ſacramento corporis chriſti ſecundum ſe in ipſa miſſa*. Liber II. de Miſſae *parte preparatoria, i-ſtructoria* et *oblatoria*. Univerſa tractatio, quae ſolidum et doctum Theologum probat, melioribusque Scriptis *liturgicis* adnumerari poteſt, finit: *a laude quoque terminemus ut in eternum laudemus eum, qui viuit et regnat in ſecula ſeculorum. Amen.* Addidit Librarius: *Et ſic eſt finis huius officij miſſe conpilatum per Reuerendum magiſtrum Nicolaum Stör In Studio lypczenſi Sub Anno domini Milleſimo CCCCXVIII°.* Academia *Lipſienſis* natalem habet annum 1409. et *Nicolaus* noſter inter primos ejus Plantatores fuiſſe videtur. Meminit ejus *Conr. Wimpina Oratione* inter editas VII. p. 24. f. habita *Lipſiae* 1503. his verbis inter Doctores Acad. illuſtres: *Fuit Nicolaus ille Stoer Lignizenſis, qui amplo uolumine Canonem miſſæ digeſſerit.* Meminit et *J. Henr. Cunradus Sileſiae Togatae* p. 298. annoque 1411. floruiſſe ait; addit tamen perperam, ut probat *Codex* noſter, Opus ſuum *de Miſſa* ſcripſiſſe an. 1467. errorem *Bibliothecae Geſn.* ſecutus. Exemplar Operis aliud mſ. extare in Bibliotheca Acad. *Lipſ.* docet *J. Felleri Catalogus* p. 189.

II. *fol.* 95. et uſque ad finem habentur magno numero *Sermones* bre-